



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Vniversis Fidelibvs Nostris per patrimonium beati Petri Apostoli constitutis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

ad restitu-  
tionem certorum  
bonorum.

quondam Vassall. Sinor. super bonis matris Cardinalis ipsius & noverca nihilominus ejusdem I. quæstio emerisset, quia constitit interim quod mater Cardinalis prædicti monasterij sancti Michaëlis de Petra martina obtulerat se ac sua, idem I. bona prædicta plus quam centum libras valentes pro triginta libris Ianuensibus ab Abbate monasterij memorati emptionis sibi titulo acquisivit. Cum igitur sustinere nolimus ut idem monasterium tam enormiter in alienatione prædicta lædatur, per apostolica tibi scripta mandamus ut Abbatem & monachos ejusdem loci moneas attentius & efficaciter inducere non postponas ut ad recuperanda bona prædicta prosequantur in tua præsentia rationem. Alioquin cum æquius sit & magis consonum rationi ut idem Cardinalis potius quam extraneus sæpèdicta bona obtineat, quæ matris suæ quondam fuisse noscuntur, volumus & mandamus ut eisdem Abbati & monachis firmiter ex parte nostra præcipias ut omne jus & actiones quas habent ad recuperanda bona prædicta, sæpèdicto Cardinali appellatione remota cedere non postponant, ita videlicet quod monasterium ipsum idem Cardinalis servet indemne, ac pro tanto beneficio vassallus fiat ejusdem monasterij pariter & defensor, quemadmodum coram nobis ipse promisit. Datum Viterbij XVIII. Kal. Octobris, anno decimo.

*VNIVERSIS FIDELIBVS NOSTRIS  
per patrimonium beati Petri Apostoli  
constitutis.*

Epist. 130.  
Qualiter Pater-  
rini & eorum  
fauores pu-  
niantur.

**A**D eliminandam omnino de patrimonio beati Petri hæreticorum spurcitiam, servanda in perpetuum lege sancimus ut quicumque hæreticus, & maxime Paterenus, in eo fuerit inventus, protinus capiatur & tradatur seculari Curia; puniendus secundum legitimas sanctiones. Bona verò ipsius omnia publicentur, ita ut de ipsis unam partem percipiat qui ceperit illum, alteram Curia quæ ipsum punierit, tertia verò deputetur ad constructionem murorum illius terre ubi fuerit interceptus. Domus autem in qua hæreticus fuerit receptatus, funditus destruat, nec quisquam eam reedificare præsumat, sed fiat sordium receptaculum, quæ fuit latibulum perfidorum. Credentes præterea & defensores ac fautores eorum quarta bonorum suorum parte multentur, quæ ad usum reipublicæ deputetur. Quod si vel hoc modo puniti,

rursus in similem fuerint culpam prolapsi, de locis suis penitus expellantur, nec unquam revertantur ad illa, nisi de mandato summi Pontificis, digna satisfactione præmissa. Proclamationes autem aut appellationes hujusmodi personarum minime audiantur, nec quisquam eis in qualibet causa respondere cogatur, sed ipsi cogantur aliis respondere. Iudices autem, advocati, & notarij nulli eorum suum impendant officium. Alioquin eodem officio perpetuo sint privati. Clerici verò non exhibeant hujusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta, nec eleemosynas aut oblationes eorum accipiant. Similiter Hospitalarij ac Templarij & quilibet regulares. Alioquin suo priventur officio. ad quod nunquam restituantur absque indulto sedis apostolicæ speciali. Quicumque præterea tales, videlicet credentes, fautores, receptatores, & defensores hæreticorum præsumperint ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam anathematis gladio feriantur. Nullus talium admittatur ad testimonium, nec ad aliquod publicum officium vel commune consilium assumatur. Et qui talem elegerit, tanquam hæreticorum fautor prædicta pœna multetur. Statutum istud in Capitulari scribatur ad quod annuatim intrant Potestates, Consules, seu Rectores, nec unquam removeatur ex illo, ut semper jurent ipsum statutum se firmiter servaturos. Et quicumque contempserit aut neglexerit illud servare, depositus à regimine, centum librarum pœnam incurrat solvendam cuicumque Summus Pontifex iusserit assignari. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ constitutionis &c. Si quis autem &c. Datum Viterbij I X. Kal. Octobris, anno decimo.

*VNIVERSIS TAM CLERICIS QUAM  
laicis in patrimonio beati Petri Apostoli  
constitutis.*

**C**UM ex officij nostri debito teneamur tam Clericis quam laicis paterena sollicitudine providere, ne contingat istos aut illos injuriarum perpeti vel injuriam perpetrare, constitutiones iniquas contra leges & canones à laicis promulgatas aut etiam promulgandas adversus Ecclesias seu viros ecclesiasticos non solum spirituali sed etiam temporali auctoritate damnamus penitus & cassamus, sub debito fidelitatis & interminatione anathematis inhiibentes ne constitutiones hujusmodi nequiter observare præsumant. Nos

Epist. 131.  
Ne quid adversus  
leges & ca-  
nones attentetur.